



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**S. Augustinus, Episcopus in Africa Hipponensis, Veritatis
Evangelico-Catholicæ In Potioribus Fidei Controversiis
Testis Et Confessor, Contra Bellarminum Et Alios
Scriptores Papæos, antiquos pariter & ...**

Reiser, Anton

Francofvrti, 1678

S. Aletheæ Nunquam Non Victricis Cultori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72506](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72506)



S. ALETHEÆ NUNQUAM NON
VICTRICIS CULTORI.

Um ante hoc Novennium *Vindiciæ Evangelico-Thomisticae* in publicum prodirent, *Thomam Aquinatem*, summis per aliquot Secula laudibus celebratum Scriptorem, iteratâ vice exhibentes *Testem & Confessorem veritatis Evangelicæ*, orbique verè Catholico contra Professore[m] quendam *Lovanensem* commendantes, (defertum hæctenus & manu quasi missum, cum nullus tot annorum spatio eorum quoque numero, quos ordinis sui ratio videtur obligare, fuerit inventus, qui Scholæ Magistrum, in cujus verba jurare coguntur, suis redderet discipulis defensum:) easdemque à Typographi manu calidas adhuc Illustri cuidam Viro atque in Controversiis exercitatissimo traderem, inter varios de ipsius operis argumento discursus mentio quoque facta est *Augustini*, ac Quæstio proposita, annon is celeberrimus hodiernum Ecclesiæ Doctor plus faveat Sententiæ Romanensium, quàm Evangelicorum; his nimirum, quod Confessiones illorum publicæ testentur, soli Verbo DEI Scripto sine Authoritatis humanæ præjudicio innitentibus, nullique Patrum fidei rationem committentibus, illis autem è contrario ad perpetuum antiquioris etiam Ecclesiæ in Conciliorum & Patrum Scriptis consensum maximo clamore provocantibus, suum in primis *Augustinum* esse, Concionibus publicis & Disputationibus privatis una voce confirmantibus? Respondi, ad quem modum post lineas à diligentissimo olim *Gerhardo* in Confessione Catholica ductas, non ad eò difficile visum fuerit *Dorscheo*, in potioribus Fidei Quæstionibus controversis, eas ex operibus *Thomæ Aquinatis*, utut pluribus & prolixissimis colligere hypotheses, confirmationi Veritatis Evangelicæ, quæ ob novitatem suspecta videretur, non parum inservituras, qui tamen pro summo Patriarchâ haberetur Doctorum in Ecclesiâ Romanensi Scholasticorum; ita nec difficile, multò minus impossibile, sed longè facilius fore, ut idem ex *Augustino* ad oculum ostendatur, non unis è Doctoribus Evangelicis in eo hæctenus occupatis. Et quia observavi, non planè nullius operæ pretium apud eos futurum, qui novitatis infamiam hac etiam ratione putarunt posse à nobis removeri, quam quotidianis ferè convitiis nostræ obijciunt Confessioni ipsimet omnium novissimi & verè mustei, si nimirum peculiari evincatur operâ Doctorem hunc *augustissimum*, quamvis authoritate Ejus non teneamur, in præcipuis tamen stare à partibus nostris; in

me, quidquid hoc est, suscepi laboris, promittens, me DEO adfite, sine
 omni mora prolixiori, quantum solitæ permitterent ex officii tenore fun-
 ctiones, id præstiturum, ut *Augustinus* etiam, *Thomâ Aquinate* octo Seculis ad
 minimum antiquior, orbi Christiano restitatur tanquã *Testis Evangelicæ Ve-*
ritatis ac Confessor perpetuus & constantissimus. Equidem, in antecessum su-
 præ observavi, non novum esse hunc laborem, neque primum me futu-
 rum, qui id agat, cum non pauci post *Lutherum* Doctores Evangelici in Scri-
 ptis, quibus novitatem Papatûs Romani impugnarunt, atque è contrario
 Antiquitatem *Confessionis Augustinæ* propugnarunt, nominatim *Brentius*,
Chemnitius Hailbronnerus, *Zexmannus*, *Gerhardus* in præcipuis, in aliquibus etiam
Hülsemannus, *Dorscheus*, *Dannhawerus*, plures alii hinc indè in *Augustini* mentem
 inquisiverint adcuratius, *Pappi* in primis, Theologi antehac Argentinen-
 sium famigeratissimi, & de Ecclesia quam optimè meriti, operâ in consensu
Augustini demonstrando nunquam satis laudatâ vel laudanda. Sed quia illo-
 rum vindiciæ maximis ut plurimum operibus infertæ leguntur, è quibus
 non cuivis *Augustiniane* mentis scrutatori licet colligere, quæ ad rem hanc
 ipsam pertinent, hujus autem, *Pappi* nimirum labor in eo fuit occupatus
 tantum, ut in *Parallelismo Confessionis Augustinæ & Augustiniane* ea adduceret
 testimonia, quæ Harmoniam Doctrinæ utriusque ostenderent brevi quo-
 dam compendio, sine Vindiciis locorum, quæ pars adversaria ad suas trahe-
 re partes laborat, idè visum fuit consultum peculiare studium in eo pone-
 re, ut omnibus aliis Controversiarum circumstantiis omninò nunc sepositis,
 id solùm ageretur, quod auctoritatem *Augustini* respicit, & ita quidem, ut
 dum ignotum minimè est, quid olim *Pistorius* Apostata desideraverit in Scri-
 pto *Pappi* laudato, (mentionem quoque faciens Scriptoris Papistæ, qui nul-
 litatem hujus *Parallelismi* ostenderit, quem tamen videre hæcenus & legere
 post sollicitam inquisitionem non licuit) non ipsa tantum *Augustini* verba
 exhiberentur, quæ nostram videntur confirmare, imò confirmant verè Sen-
 tentiam, sed simul etiam ab exceptionibus adversariorum, quas lubido
 contradicendi suggerit, vindicarentur, ac insuper quoque legitimus eorum
 Sensus pateret, quibus ad errores sub *Augustini* velo palliandos adversarii
 numero non parco utuntur. Methodi rationem quod adinet, eumque Au-
 thorem, cujus premerem vestigia, non diu fui sollicitus vel anceps. Quia e-
 nim *Bellarminus* apud suos utramque facit vel occupat paginam, isque solus
 omnes alios Controversiarum Tractatores sufficientibus armis è Scriptis
 Patrum, & in primis *Augustini* instruxisse voluit videri, vindicatus ante An-
 nos non ita multos ab *Erbermanno*, ordinis Socio, hunc mihi Ducem laboris
 elegi præ cæteris, cum & in plerorumque nostratium & suorum versetur
 manibus. Etsi enim *Jodoci* præsertim *Cocci* Thesaurum, quem Elogio valdè
 plausibili vocavit Catholicum, non parè commendan scirem, ob maxi-
 mam testimoniorum è Patribus, & inter illos *Augustino* copiam, quam *Mül-*
mannus quoque in *Mysterio Fraudis*, non Evangelicorum, sed Societati addi-
 ctorum, egregiis celebravit laudibus; præterquam verò, quod tum tempo-
 ris ad manus non fuit, quò minus impensas facerem, prohibuit gravis Cen-
 sura, quam de eo tulit *Casabonus*, in Exercitationibus Anti-Baronianis sic
 scri-

Scribens: *Nemo eruditus & judicio vel mediocri praeclitus oculos in illam coniecit farraginem, quin statim intellexerit, propositum Auctori fuisse, non Veritate, sed nube testium vincere &c.* Ne autem hoc Judicium è pennà suspectiori videatur fluxisse, facit consensus recentior Scriptoris Romani, ejusdemque non vulgaris, sed è primis, nimirum, Cardinalis *Bonaë*, qui in notitia Auctorum, quam *Psalmodiæ* ante hos quatuordecim Annos primum editæ præmisit, hunc Thefaurum vocavit quidem *opus infinitæ Lectionis*, addidit tamen, quod notari ad Institutum præfens meretur, *Eum inter veros Authores & supposititios nullum statuisse discrimen.* Ignota quoque non fuit *Confessio Augustiniana*, quam *Hieronymus Torrensis* dedit formâ non unâ, in numero fere numero testimoniorum ex *Augustino* compilatorum turgens. Verum ab eâ etiam jussit abstrahere manum *Reibingius Ex-Jesuita*, in operis *Aranearum* contra Socios quondam suos scribens, *Eum multa quidem corrasisse, sed ita infeliciter, ut magni nominis Theologos etiam è Jesuitis rigidos Censores sit expertus, quod non pauca vel non ad mentem Augustini, vel extra rem, vel sine robore produxerit.* Versabatur insuper in manibus *Maseni* labor, qui ante hoc vicennium & amplius breviori quodam compendio dedit *Augustinum, Controversiarum Fidei hujus temporis Arbitrum ac Decisorem optimum*, unde pleraque *meditata* postmodum *Concordiæ*, ac tandem *Fidei novæ Praxi* intulit, quâ crambe bis recoctâ, tertia vice adposita, annon Lectori aliquod creaverit fastidium, nullatenus licet dubitare. Sed quia laboris Doctore Reformato, *Johanni Coccejo* fuit oppositus, falcem in Messum alii debitam & præscriptam nolui immittere. Tutissimum igitur fuit visum, his & aliis pluribus suas res habere jussis *Bellarminum* sequi, non quasi is præ cæteris candidè magis hoc negotium tractâisset, contrario potius ex toto hoc Opere per Exempla numero non pauca satis manifesto, sed quia, ut præoccupavi dicere vel scribere, plerisque eruditorum est notissimus, & quod quam-maximè ad rem pertinet, non nuda tantum vel ex nostrâ, vel fuorum mente proponit *Augustini* testimonia, sed iis partim subjungit responsiones, partim ab exceptionibus nostratium vindicias ut plurimum prolixiores, & ut videri voluit, ex ipsis Textûs *Augustiniani* visceribus defumtas, quas apud illos, quorum facta est mentio, frustra requiras, atque sic præ illis singulari studio in illud incubuerit, ut cum cæteris Ecclesiæ Doctoribus *Augustinum* quoque Tridentinos adprobare Canones ostenderet. A principio quidem laboris mens erat minimè, in ampliores excurrere *Controversiarum* Campos, aliosque præter *Bellarminum* synathletas admittere, de quo primæ etiam Quæstiones testimonium præbent, brevioribus verbis expeditæ. Verum in ipso Laboris cursu varia intercesserunt, quæ è Scriptoribus alijs, quos Supellex tum libraria liberaliter suppeditavit, omissenda non putavi, ad mentem *augustissimi* Doctoris eò magis enucleandam. Hinc intermedia & posteriores *Controversiæ*, eæ præprimis, quæ causam respiciunt *Jansenio-Norisanam*, aliquantò prolixius discussæ fuerunt, ac pro datâ occasione demonstratum, *Iprensam* antehac & non ita pridem *Patavinum* Augustini discipulum, è diligenti Ejus lectione & testimoniorum adcuratori ponderatione non pauca observasse, quibus *Evangeliæ Veritas* non parum confirmatur, contradicentibus quamvis opere maximo iis, quibus semel stat

Sen.

Sententia, Novitates semel ad defendendum susceptas nunquam antiquare, aut iis nuntium mittere, quidquid sit de auctoritate *Augustini*, quam etsi adhuc maximi, non tanti tamen faciunt, qui solis sibi metipsis placent, ut non putent, deferri eam posse, vel contra eam excipi, si res ita ferat, atque Ratio Status etiam contra statum rationis requirat. De cætero, quibus non est ignotum, quæ ab aliquot Annis me præferunt Fata, & non semel locum mutare coegerint, faciles erunt in eo, si non ubivis eandem stili tractandi que rationem adverterint. Fuit nimirum, ubi potiore operis parte jam confectâ per integrum illud triennium, urgentibus causis prægnantioribus, deferere fui coactus. Sed nec in posteriori parte succenturiandâ iidem ad manus fuerunt Authores, quibus in priori fueram usus, utut alii subinde, & recentiores quidam successerint, priorum s. p. plentes locum. Quin ipsa operum *Augustini* editio fuit mutanda, ut alia nunc silentio premam, quæ plurimum impedimenti adtulerant, quibus recensendis alia forsitan dabitur occasio. Nunc quinam adcesserint postliminiò auxiliares, paucis indicandum est, ne quid prætermisum aut oblivioni datum videatur. Et è Bibliothecâ quidem *Anti-Janseniana* ad laboris suscepti continuationem obtulit se primum *Petavius*, Author Theologiæ Dogmaticæ nominatissimus, & inter primos, qui *Jansenium* oppugnârunt, facile primus, Scriptor non semel satis candidus, inque mente *Augustini* sollicitè indagandâ ac planius exponendâ industrius valdè, nisi quando causa, quam defendere ex sententia Sedis Romanæ fuit coactus, eum vi quâdam traxit aliorsum, etsi invitissimum quod ex non uno locorum patet. Successit *Clypeus Theologiæ Thomisticæ* contra novos ejus impugnatores, *Johanne Baptista Goneto*, Ordinis Prædicatorum, Authore, per partes antehac in Gallia, quod *Ephemerides* ibi Eruditorum testantur, ante sexennium verò in Germania junctim quinque Tomis editus; quem inter cæteros idèò eligere placuit, quia & in *Thomæ Aquinatis* mentem adcuratius inquirat, & hodiernorum *Probabilistarum* Sententiam orthodoxa Antiquitati ignotissimam, à que lacu novitatis adhuc ferventem validissimè impugnat, & simul *Jansenii ex Augustino* partes omninò oppressisse videri voluit, inter recentiores dignus, cui præ pluribus aliis aliquid temporis impendatur, quamvis non paucas prætermiserit Quæstiones, studio ut videtur singulari, quia non ausus est semper mentis suæ sensâ apertius proponere. Intercessit duplex Scriptum unius ejusdemque Authoris, Instituto quam maximè inferviturum, si eodem serie continuâ uti licuisset. Est is *Matthias Hauzerius*, Ordinis Francisci, qui ante Annos triginta *Parisius* edidit *Anatomiam & Epitomen Operum & Doctrinæ Augustini*, titulo æri inciso eodem, quem prima Editio *Augustini Janseniana Lovaniensis* sexennio anterior exhibuit, comet ipso ostendens, se partibus *Jansenii* non adèò fuisse infensum, Ad probationibus variorum ex more consueto munitam. Hujus operis pars prior continet non Summam modò librorum *Augustini*, sed & potiores eorundem partes, quæ videbantur præ aliis notatu dignæ; posterior autem vindicias locorum, quæ aliquâ laborare videntur difficultate, ne quidquam in augustissimo hoc Scriptore non cuivis obvium super amplius sit. Quin multam in hoc Opere posuerit operam Author, negari non

non

non potest majorem verò reportaturus laudem, si, quam ob oculos semper sibi posuit *Augustinus* Veritatem contra quoscunque Veteratores defendendam, ab eadem præjudiciis occupatus abripi se non rarò passus fuisset, suis ductus impetu cæcorationibus, ut plurimum omni ratione carentibus, quas à Doctoribus vel seductoribus ab ætate primâ cum Lacte quasi materno imbiberat. Non autem intra hos fines atque terminos stetit hujus Viri diligentia, sed quia primum huncce laborem *Augustinianum* non malè putavit collocatum, laudatus à non paucis ob eundem insigniter, plus ultra censuit eundem, sexennio post Ecclesiæ sistens *Collationem totius Theologiæ inter Aensem, Bonaventuram & Scotum*, ad mentem *Augustini*, in qua tamen, si quis dixerit, Eum plura cumulatius congefisse, quam ordinatius digessisse, à verò non procul forsitan errabit. Quia utrumque hujus Authoris Scriptum ferè nimis ad meas pervenit manus, *Vindictis* nimirum ad finem ferè perductis, ne datâ quasi operâ videar neglexisse, Speciminis loco hinc inde inserui aliquas Additiones, ut inde Lector eruditus possit conjicere, quid de cæteri sit itatuendum. Adcessit his Scriptor hodiè famigeratissimus, *Franciscus Macedo*, Ordinis Minorum in duobus Tomis *Collationum Thomæ & Scoti*, Patavii paucos ante Annos editis, in quibus præter Interpretes *Cajetanum & Lychetum* antiquiores, recentiores verò *Suarium & Vasquium*, in primis ad auctoritatem *Augustini*, tanquam ultimi Judicis provocat, à quo & cognomen gerit, ut à *S. Augustino* dicatur, inque præfixe priori Tomo præfixâ *Augustini Discipulus & interpres* audit, Eundem insuper à dextris sibi adsidentem habet, uti *Scotum* à sinistris, in præfatione prioris insuper ad Lectorem testatus, in omni maximè *Controversia* dominatur *Augustinus*; in posteriori hoc etiam passus, *Scoti* partes agere, mei est officii, obsequii verò, præstare, *Ei manum amicam Augustini, ac non pati hunc ab Eo arvellî, nam Schola Scoti est prorsus Augustiniana, unâ vel alterâ Sententia exceptâ, quod ipsum agnoverunt, qui Tomo posteriori suas præmitti voluerunt Censuras vel Adprobationes, dum Franciscus à Castro, Ordinis Francisci Procurator Generalis Romæ commendat nexum doctrinæ Scoti cum Doctrinâ Augustini, ut nihil inter utrumque discrepet præter ætatem; Petrus Antonius Crassus, Lector Generalis Patavii laudat solertiam singularem conferendi Scotum cum Augustino, ita ut totus legatur in Augustino Scotus, totus in Scoto Augustinus; Clemens Bassettus quoque, Prædicator ibidem Generalis observat, versatissimum esse Macedonem in lectione Augustini, ut potè quem semper connectat cum Scoto, & demonstret, eorum semper cum Augustino sentire, & nihil penitus ab Eo discrepare. De his collationum Tomis, opere adhuc imperfecto, cum duo posteriores desiderentur, si quid sentiam, hic promere licet, non impertinenter puto adplicari posse, quod olim de Origene communiter dictum legimus, *Ubi benè, ibi inter sui Ordinis homines nemo ferè melius; ubi autem malè, sibi nemo ferè pejus & contra Veritatem coactius scripsit. Utriusque documenta quædam huic etiam Operi inferta videbit Lector, ut ex ungue vel ungula Leonem aut aliud quodvis animal possit cognoscere. Ne verò secundum tenorem Censurarum in gratiam Scoti scriptarum *Thomas de Aquino* videatur Augustino contrarius, quem in Summa præprimis Theologica perpetuum ferè testem adducit, placet hic repetere Visionem, quam Alberto Brixienti quondam contigisse ex Antonino**

recensuit nuper *Alexander Seville*, Ordinis Prædicatorum, in *Augustini Interprete Thomistico*, sequentibus verbis: *Conspiciebat is Augustinum & Thomam sibi simul adparentes, sed rei causam ignorans, supplexque ab illis Mysterium quaerens, responsum habuit ex ore illius, qui Pontificalibus cernebatur insignitus: Quid miraris, Alberte? Ego sum Augustinus Ecclesiæ Doctor, qui missus sum ad declarandam Sancti Thomæ gloriam. Is est, qui mecum est, qui meam & Apostolicam Doctrinam in omnibus est secutus, qui totam Dei Ecclesiam suæ Doctrinæ fulgoribus mirabiliter illustravit. Fides sit penes narratorem. Hoc exindè patet, Thomistas æquè ac Scotistas, ac potiori forsitan jure, Augustinum sibi adscribere, in iis præsertim capitibus, quæ propius tangunt Veritatem Evangelicam, quod ex *Vindiciis Evangelico-Thomisticis* manifestum est satis, Opusque præsens sufficienter confirmat. At ejus confectionem ultimam, fateor aliquid contulerunt tandem *Henrici Noris*, Ordinis Eremitarum & Augustini, Vindiciæ contra Jansenitarum hostes *Augustiniana*, Patavii ante hoc quadriennium editæ primùm, & quidem cum adprobatione Prioris *Rome* generalis, proximo postmodum Anno recusæ *Bruxellis*, cum hæc ordinarii *Mechliniensis* Centurâ: *Hæ Vindiciæ &c. eruditæ sunt, nec quidquam continent Fidei Catholicæ aut bonis moribus contrarium, & eatenus dignæ, quæ prælo subjiciantur Belgico, ut obstruatur os loquentium iniqua* Quinam verbis hæc fuerint designati, nescire non potest, cui motus animorum in Belgio super condemnatione Jansenii antehac ortorum non sunt incogniti, de quibus profertur in publico Scripta. Placuit non immeritò iis inter Evangelicos, quibus est Augustinus in pretio, hic Doctoris Papistici Candor, multa è Scriptis suorum singulari diligentia colligentis, quæ plerosque latent etiam eruditiores, quibus non conceditur omnia partis adversariæ Scripta vel emere, vel evolvere, partim ob pretii majoris, partim ob temporis brevissimi caritatem. Sed & non displicuit laudato ante *Macedoni*, qui in posteriore *Collationum* Tomo, agens de *Necessitate Gratiæ Divinæ* ad cogitationes & ad usus bonos morales, & quidem ex *Augustini* Sententia, post alios Scriptores Lectori commendatos, ultimò hujus etiam *Norisii* meminit, quem *illustrem* vocat Authorem, Librum de *Historia Pelagiana* dicit *eruditum*, addens, *Eum in Vindiciis hæc Augustinianis eandem Augustini Doctrinam de Necessitate Gratiæ tradere, munire, confirmare magnâ & invictâ Sanctorum Patrum autoritate, & in sequentibus notans, Eum in Opere hoc præclaro, uti iterato adpellat, cum Morainio, vel potius Martinono, (uti hunc anagrammatismum nuper etiam indicavit Soltvellus, Alembicii in Bibliothecâ Jesuitica continuandâ Successor,) hanc inter opiniones, quas in Scriptis Augustini reprobat, numerante, ob illud ipsum expostulare, quod suo quoque loco ex eo fuit observatum. Ut adeò mirum videatur non immeritò qui factum ut Macedo hic, tam insignis non ita pridem Encomiastes Norisii, nunc plurimum mutatus à semetipso, & alius planè, quam antehac, alienior sit ab Eo factus, quoniam Salario authoratus, quo impulsoe ad actus, dubium, ediderit *Veronæ* Commentationes duas *Ecclesiastico-Polemicas*, earumque priorem directè opposuerit *Norisio*, in argumento quidem non Doctrinali, sed Historico tantùm occupatus, communem videlicet Ecclesiæ Romanensis Sententiam circa Fidem & Doctrinam *Vincentii Cirenensis*, quem numero Sanctorum adscripsit, defendens, *Norisio* post *Jansenium***

niunt Iprentem *Augustino* eum cum cæteris Semipelagianis opponente, quod antehac etiam à *Vossio* in Historia Pelagiana factum. Præfens institutæ præfationis ratio non permittit, agere causam *Norisi*, quam ipse, ut audio, non deserit, sed masculè adhuc contra Antimachos defendit, omni laude dignissimus, quod non ad tentam Canonisationem Romanam, quam præcipuè *Macedonem* urgere video, nec obstante communi errore, cui plerosq; Religionis suæ homines vidit innexos, Veritati per *Jansenium* & *Vossium* ostensè victas dedit manus, neque dum clamore hostium incondito ab eadem dimoveri se patitur, nec, uti spero, passurus est. Hoc tantùm nunc addo, è Doctoribus reformatis post *Vossium*, qui Remonstrantibus adcessit, *Vincentium* hunc *Civinensem* Semipelagianis adscripsisse, ejusque *Commonitorium* censuræ rigorosiori subjecisse *Dalleum*, in Opere de vero Patrum Ecclesiasticorum usu, quod etsi nuper *Scrivenerus*, Presbyter Anglus, quoad hoc quoque punctum adlatravit, non tamen invenit, quo *Vincentium* sufficienter defenderet, in hoc luto adhuc hærentem. Inter Evangelicos idem præstitit dudum *Dorscheus*, in Præfatione ad *Vindicias Fræresenii* in Cathedra Antecessoris Genesiacas. Quin imò *Hülsemannus* in Diatribe de *Auxiliis Gratiæ* non contentus hunc *Vincentium* vocasse Semipelagianum, ipsum dixit Semipelagianorum antesignanum; *Dannbauerus* quoq; ejus regulam in *Commonitorio* expositam vocavit *delirantem*, in Paralipomenis ad *Mysterium Syncretismi*, quidquid etiam iis fuerit visum, qui nova hujus libri editione, Disputationibus etiam super ejus argumento habitis, Ecclesiasticæ Antiquitatis auctoritatem commendare aliis sunt conati. Non solus autem *Macedo* (qui num secundus Alexander in Regno Scholasticorum sit primum obtenturus locum, docebit tempus) insultum fecit hostilem in *Norisium*, Augustini & Jansenii discipulum, sed alii etiam pede pressio eum sunt infecuti, è quorum numero primum sub nomine *Eucharii Palmæ* peregrino, post autem proprio in publicam aciem prodiit ante hunc Annum, *Bruno Neusserus*, ordinis Minorum, Opus tripartitum *Norisi* de Historia Pelagiana & Synodo Quinta cum *Vindiciis* Augustinianis impetu maximo adgressus, ad plaudente inter alios *Volusio*, Auroram Pacis religiosæ antehac præbente, quam verò Sol ipse nondum secutus est, sed Noctis, in qua erat concepta, tenebræ penitus oppresserunt. Quantum hic *Anti-Norismus* præstiterit in *Prodromo Velitari*, quo Augustinum promissit ab imposturis Discipulorum Jansenii, præsertim *Norisi*, vindicandum, uno & altero in his *Vindiciis* ostenditur exemplo, unde conjectura facilis erit, quid de *Syndromo*, si quis succedet, aut etiam *Opisodromo*, sit sperandum, utpotè qui non *Vincentium* modò *Lirinensem*, vel *Thomam* quoque *Aquinatè*, sed *Aristotelem* etiam Sanctis Ecclesiæ Doctoribus adnumerat, ut posthac toto corpore Regni, videlicet Scholastici, summo nimirum ejus Patriarcha in auxilium adscito, Antagonistam possit opprimere, Veritate Augustiniana simul sepulta. His se Anno itidem superiore junxit *Fulgentius* quidam *Risbrochius*, natione, ut præ se fert, Polonus, Canonicus Lateranensis, Doctor Theologus & Abbas Privilegiatus, demonstrare laborans, *Norisum* esse *Dogmatisten Augustino in jurium*, Opere, quod ex benevolentia singulari illustris Viri in Italia possideo, qui putat, *Macedonem* latere sub hoc nomine, utut Adprobatio Ordinariorum libro præmittatur. Sed

neque hunc Veritati litasse, quibusdam Adpendicibus in hoc Opere doctui, de cæteris Lectori iudicium committens. Plures hæcenus *Anti-Norisi* ad meas non pervenerunt manus, laudato tamen Illustri Viro, qui *Norisi* & *Macedoni* propior vivit, per literas monente, plura hinc inde Scripta pro & contra esse vulgata, nominatim ab *Henrico* quodam *Hausenio*, ordinis Minorum strictioris observantiæ, Epistolam, etsi stylo acerbiori scriptam, argumenti tamen ratione nimis jejunam; à Patre *Gvidio* violo folium sub inscriptione, *Propositiones Parallele Baji & Norisi*; ab *Humberto*, *Ascetâ Carthusensi*, Opusculum hujus tituli, *Germanitas Dogmatum Jansenii* *prensis & Norisi* *Eremitæ Augustiniani*, in quo è regione sibi invicem opponit loca *Jansenii* & *Norisi* parallela, Principio quidem ejus vel Prologo ad Christum, Epilogo autem ad Pontificem modernum directo, his inter cætera verbis: *Nunc ad te, populi Christiani Rector & Dei Ecclesiæ Magister ac Pater, verba convertito: Non inconsultò dedit Deus Ecclesiæ suæ talem Pontificem, qui novus Innocentius renascentem Jansenium proscriberet &c.* Addit idem Vir illustris, missum sibi fuisse hunc libri titulum: *Fax lucens & ardens Doctrina & Zelo, ad nonnullas Propositiones Henrici Noris, accensa à Jacobo Villerio, Presbytero Gallo Lugdunensi, dedicata Regi Christianissimo, Ludovico XIV. Triumphatori &c.* qui itidem existimat, hunc quoq; partum esse *Macedonis*. Subjungit accepisse se *Lutetia, Liberatum Ecclesiæ Carthaginensis Diaconum, cum Johannis Garnerii Notis & Dissertatione de Synodo Quinta & quæ eam præcesserant, Norisi & in illis & in hac male habito & tractato.* Monet tandem, *P. Quesnel in Leone Magno* graviter quidem in quibusdam impugnare *Norisium*, sed tamen de eo loqui magna cum veneratione. Hæc Illustris Vir ille in prioribus de hoc argumento literis, in posterioribus de eodem facit mentionem sequentis Opusculi, *Manifestatio Veritatis & Responsio ad Propositiones Henrici Noris, Authore Fr. Hilario à Ragusa, Minorita &c.* Adjicit ex Epistola *Caramuelis* ad *Macedonem* hæc verba: *Patres Augustiniani & Dominicani (undè, undè, nescio) defendere solent Jansenium, causa videtur esse, quòd illi putant in Augustino Iprensi Augustinum Hipponensem loqui; isti verò arbitrantur, ad-versari eum Franciscanis Patribus & Jesuitis. Plures Janseniani penetrârunt in Italiam. Clemens nonus visus est eos negligere. Clemens decimus propter suas infirmitates minus curavit. Faxit Deus, ut noster Pontifex Innocentius, qua est vigilantia, Religione & Pietate, re prorsus cognita debitum adferat remedium.* Ut reliqua nunc prætermittam, quæ in utroque hoc Epistolio huc pertinentia porrò leguntur, quia *Caramuelis* facta est mentio, non possum, quin hic subjiciam, quæ is antehac in Operum suorum editorum & posthac edendorum Catalogo, priori *Theologiæ Fundamentalis* Editioni inserto, at post correctionem *Rome* factam non parùm mutato, hac de re scripsit, ubi postquam promisit, se quoq; *Augustinum* velle scribere, sequentia in antecessum Lectori commendavit: *Si viderem docto alicui Janseniano, ut totum hunc librum ad Thomæ mentem corrigeret, & omnia, quæ de necessitate absoluta Jansenius habet, aut ad Infallibilitatem (hoc melius) aut ad necessitatem sensus compositi (hoc se verius) re-vocaret, hinc Gratia efficaciam deduceret, hinc cognosceret Pelagianorum & Semipelagianorum veterum exorbitantias, ut in eorundem placitis (non enim omnia sunt heretica) vera separaret à falsis, & in parallelis laudaret juniorum doctrinam, consentientem Pelagio in articulis, in quibus iste consonat Veritati. Sanè in Augustino Jansenii multa est materia, quæ formam non recusaret Thomificam, si daretur agens extrinsecum, quod eam induceret. Ego enim,*

enim, si per occupationes liceret, possem, ut puto, illam rudem indigestamq; aut conformatam monstrosè materiã formã exuere Ianseniana, quã quatuor Pontificibus displicet, & sinceris non placet Theologis, & vestire Thomisticã unius aut alterius Anni spatio. Si hoc semel fieret, cessarent omnes controversiæ, & novus ille liber Angelici Doctõris doctrinam magnò confirmaret suffragio. Hæc ille antelustra præter propter quinq; quo Annorum spatio cur promissis non steterit, ac sepositis omnibus aliis laboribus, quibus orbis Christianus carere potuisset facilius, hoc unum egerit hæctenùs, quo sinceros Augustini discipulos sibi quàm-maximè potuisset facere obligatos, post hæc fortè, si ita visum est, reddet rationem. Ego in hoc Opere ea contra Bellarminum ac ejus sequaces è Iansenio & Norisio observasse & adduxisse fui contentus, quæ ad Veritatem Evangelicam adcedunt propius, testimonium præbentia, hoc etiam Seculo non defuisse, necdum deesse, qui eidem urgente Conscientia adhæreant, ut ut non sine aliquo Famæ, & quæ eam comitantur, dispendio; cùm semper in hoc tenebrarum regno plures sint, qui Veritatem, nunquam ita oppressam, ut non hîc & ibi aliquos emiserit radios, iniquissimè detinent captivam, ne in aliorum oculos incurrat, ac contra errores, quos non absq; plurimo temporali commodo fovent, in publico obtineat. Atq; in hujus S. Alethæ gratiam sisto nunc tibi, Lector benevole, Augustinum à pluribus injuriis, falsis adlegationibus, iniquissimis detorsionibus, quibus post & præter Bellarminum alii etiam non pauci Doctorem hunc Sanctum adfecerunt, onerârunt, atq; macerârunt, ut plurimum judicio testium de Domo propria liberatum & vindicatum, Augustinum inquam redivivum, non ex Orco vel Inferis, undè antehac Aristotelem reduxit Cornæus Lojolita, ad quos Augustinum non obscurè detruxit quondam Bonifacius, Papa hujus nominis secundus, sed uti in Paradiso cœlesti cum cæteris Ecclesiæ Doctõribus triumphantem, ita in Scriptis post se relictis adhuc vividum & spirantem, iis celebratum à parte adversaria Elogiis, quæ, quanti habendum sit, in doctrina consentire Augustino, satis docent superque. In animo quidem fuit, huic labori Anti-Bellarminiano ad finem perducto ea etiam subjungere, quæ quocunque modo ad Augustini auctoritatem in Controversiis quoq; generalioribus videntur pertinere, ad eòq; examini subjicere Fratrum Walenburchiorum Methodum Augustinianam, quam non ita dudum priori Opèrum Tomo cum Responsionibus ad Nostratum objectiones noviter inferuerunt, excutere Sinichii Goliathismum Confessionistarum profligatum, pluribus quidem ex Augustino testimoniis factum, quæ tamen nullibi inter se cohærent aptè; inquirere itidem in hodiernam Probabilistarum Sectam, quam Honoratus Faber, Jesuita Gallus, paucos ante annos Scriptis variorum apologeticis, in quibus plurima Augustini mentio occurrit, defendere laboravit, alias etiam recentiores Controversias inter Fratres Cadmæos hoc demùm ortas Seculo ad Veritatis infallibilem Stateram adpendere, ac videre, à quorum parte steterit quondam Augustinus; Sed aliæ me avocant occupationes, quas ut differam prolixius, à me impetrare non possum, provocatus præsertim post duodecennale Silentium ab Antagonista meo veteri, Christophoro Ottone, in Roma minus gloriosa, quam anno demùm præterito edidit, qui ne nimis prolixum me debitorem habeat, aut acie videar excessisse, in qua bis antehac cum ipso sum congressus, curæ

mihī erit bono cum Deo. Hoc defunctus labore, si Lectoris benevoli cognovero desiderium, nullus deero, quō minus sine prolixiori mora hanc quoq; residuam Operis *Augustiniani* partem, si Deus vitam viresq; fuerit largitus, Ecclesie exhibeam, ne quid videatur restare, quod *Augustinum* ulla ratione possit nobis facere dubium. Interea contra *Walenburchiorum* ad *Augustini* auctoritatem provocaciones inservire potest *Nisani* ostensio Historico-Theologica, quod *Gloriosissimus Imperator Carolus Magnus* in quā plurimis Fidei articulis formaliter non fuerit *Papista*, in cujus Adpendice post *Hülsemanni* operam hæc Methodus *Augustiniana* strictim expensa legitur, cujus Laboris contra *Schattenium* Lojolitam oblocutorem vindicias nuperus Index *Frankofurtenfis* promisit. Id adhuc, ne nescias, Lector amice, monitum volo, bonam me hujus Operis partem confecisse, cū incidere fuit concessum in *Armamentarium Bartholomæi d' Astroy, Leodiensis Augustinianum* adversus Hæreses, exhibens Methodum quadruplicem, videlicet *Conversivam, Impugnativam, Defensivam & Probativam*, ante hos tredecim annos *Leodii* cum Adprobationibus solitis editam; sed ne actum agerem vel retractarem, monuit me simile Exemplum, cū idem antehac evenerit mihi in *Vindiciis Evangelico-Thomisticis* occupatissimo, dum videre licuit *Armamentarium Zenueri, Ordinis Dominici, Thomisticum*, vel Partem ejus priorem, posteriore intra duodecim annos nondum secuta; cujus autem conspectus adeo me non abstraxit a cœpto labore, ut potius in Adpendice ostenderim, quo illud modo possit exarmari, *Thomasque* adhuc maneat *Testis & Confessor Veritatis Evangelicæ*, quem nobis eripere ex tot armorum cœtu nullus ne mussitando quidem hactenus est ausus. Hoc idem nunc quoque dictum & intellectum volo de hoc *Armamentario Augustiniano*, quod quoad Controversias speciales perfacili opera destrui potest ex Opere hoc *Anti-Bellarmino*; quod sibi etiam dictum & scriptum sciat *Eustachius de Rosario, Ordinis itidem Dominici vel Prædicatorum*, qui ante hunc modò annum brevi quodam Compendio *Augustinum* post aliorum sudores laboravit ad suas trahere vi etiam adhibita partes, hic inventurus cum copia, quæ frustraneam Instituti vanitatem poterunt ostendere. Antè autem, quàm Lectorem dimittam, non possum, quin seriis honestum aliquem jocum subjungam, cujus mentionem facit *Immanuel Tremellius, Ex-Jesuita*, in *Palinodia* contra *Christophorum Ottonem*, suprà nominatum, Apologia, sequentibus verbis: *Urbs est superioris Styriæ, Judenburgum dicta, ibiq; Jesuitarum Collegium & Templum Augustino dedicatum. Mos est in illo Templo antiquissimus, qui in hodiernum usque diem observatur. In Festo S. Augustini, quem rustici & plebs vocat Augstein, ponitur post majus altare super Mensam antiqua D. Augustini statua. Hanc, dum sub Missa populus munera defert ad altare, illudque circumit, in stropholis frustum laridi gestat involutum, cūque ad Augustini statuam devenit, illius vultum larido insigniter perungit, & larido demud involuto ad locum recedit priorem; hoc autem larido contra oculorum dolores tam pro hominibus, quàm animalibus, utuntur.* Ride, Lector, si tanti videtur tibi, aut deplora potius stupidam populi Simplicitem & Superstitionem, & *Alethæ*, E jusque *Vindici Augustino*, unà mecum fave!

Testi-